



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Coloniæ multæ pro pietate gerit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

1566.

*Et Ducem illi  
huicem/om.**Colonia multa  
pro pietate ge-  
rit.*

Agebat iam nouo allapso anno apud Ducem  
Guilielmum, cum nuntius perfertur, ex huma-  
nis Pontificem excessisse. Nihilò secius quæ at  
illo habebat mandata Duci exposuit, plurimum  
hortans ad veri explendum, germanique catho-  
lici officium, ac nominatim in amplis illis, ac pre-  
claris ditionis suæ Prouinciis, ne Sectariorum cor-  
ruptelis locum daret. Promisit Augustam se  
uenturum ad comitia, causamque religioni  
quoad verbo Dei foret consentaneum, pro vita  
gesturum: quod Canisio verbum haudquaquam  
in plenum arrisit. Reuersus inde Coloniam cum  
Senatu, atque gymnasio multis de rebus egit ta-  
to cum successu, vt magnificè, & omni laude,  
ope omni dignam Ciuitatem eam prædicet, qui-  
diu licet prope orba Archiepiscopo, & vndique  
circumfessa, & oppugnata ab Hæreticis, nec val-  
dè purgato munita Clero, perstaret tamē immo-  
bilis, suoque retineret iure nobilem titulū, vt  
Felix Colonia sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelis fi-  
lia, & diceretur, & esset. Ergò cum explicasse  
Pater Studium, & amorem aduersus eos Pontifi-  
cis Maximi, quamuis iam decessisset, se se respon-  
derunt Romanis Pontificibus summam debere  
vene

venerationem, & obedientiam, eamq; in omne posterum tempus summa voluntate declaraturos. Deinde haud grauatim receperunt facturos se se, quæ Pater postulauit ad suum aduersus religionem studium magis, magisque declarandû. Nec prolixo, ac liberales fuere magis verbo, quàm re. Vti ille rogauerat, decretum est in Senatu, vt pestilens quidam Pædagogus, qui complures opulentos, ac nobiles adolescentes priuatim instruebat, protinùs deiiceretur ex eo periculosissimo munere. Vt libri, qui catholicâ integritatem vitiarent, interdicerentur. Vt nullus omninò concionatoribus locus, nullus daretur Magistris, quorum religio suspecta esset. Academici oblatum sibi Pontificio signo communitum Concilii Tridentini exemplar magna cum reuerentia exceperunt: simulque spondere ad illius præscriptum, ac normam, vbi præsertim de Academiis generalibus agitur, cuncta composituros. Ad hæc Theologorum iuxta, ac Philosophorum collegia ex recenti Pontificis lege sanxerunt, ne literarij gradus, & honores cum quoquam, nisi prius religionem ex Romana regula professus esset, communicari liceret. Hæc maximè delectarunt.

Canisium caritatis erga se, & obseruantiaē documenta. At illine humana quidem omiserunt argumenta, ac pignora, quibus honorare solent magnos hospites solennibus missitandis donis. Abiit deinde Treuiros, ac Moguntia, rerumq; gestarum summam ad Præpositum Generalem perscripsit his verbis.

*Nuntiat P. Generali suam peregrinationē.*

**D**ominus Iesus ubiq; nobiscum per sacrificia, & preces R. P. tue, & Patrum omnium, quibus in primis cupio commendatus esse. Gratias autem ago Deo, qui vires hactenus dedit ad hanc peregrinationem quatuor hybernis mensibus conficiendam. Sentio interim aliquot ab hinc diebus debilitatum esse mihi vires, & solitum abesse vigorem. Fiat vobis Domini voluntas, qui nos obedientiaē sancti filios in vita, & morte esse concedat. Spero denique difficile fore R. Paternitati tue, ut rationē reddam sciscitantibus de munere meo suscepta legatione. Conciliaui Apostolicæ sedi animos Prelatorū, præsertim duorum Archiepiscoporum Moguntini, & Treuirensis: nec non Episcoporum Herbipolensis, & Osnaburgensis. Cum aliis quibusdam egi per litteras ob varias causas. Commendaui præterea illius publicationem, & executionem Concilij Tridentini.